

Sylvius, t. 2, *Billuart*, etc., qui dicunt hanc sententiam esse communioem. Unde qui missæ vel officio pro defunctis cum affectu ad peccatum assistunt, stipendia restituere non tenentur, modo aliunde debitam habuerint attentionem. Vide quæ diximus de recitatione divini officii cum actuali proposito peccandi, § 3, ad calcem.

§ II.— De aliis pietatis operibus diebus dominicis et festivis agendis.

Plures theologi et auctores ascetici, præsertim in Gallia, docuerunt absolute totam diem dominicam et festivam sanctificandam esse ex præcepto divino et ecclesiastico, et eos qui ab operibus servilibus abstinent missamque audiunt, et reliquum tempus in otio, in vanis colloquiis, in ludis et comessationibus terunt, a gravi peccato excusari non posse.

Cæteri vero theologi, post *S. Th.*, finem præcepti ab ipso præcepto sedulo distinguentes, dicunt :

1° Convenientem dierum dominicarum et festivarum sanctificationem postulare quidem ut fideles, præter cessationem ab operibus servilibus et auditionem missæ, alia pietatis opera exercent, v. g., actus fidei, spei, charitatis, contritionis eliciant, sacram concionem audiant, officiis vespertinis assistant, Scripturam sacram aut alios pietatis libros legant, ignaros erudiant, necessitatem patientibus auxilium præbeant, etc.; multo magis expedire ut a negotiis sæcularibus, lusibus, spectaculis, choreis, venationibus, comessationibus, computationibus abstineant, et ad hoc referendas esse multas auctoritates a *P. Alexandro* aliisque auctoribus citatas.

2° Vi præcepti divini aut ecclesiastici fideles non teneri prædictis diebus interiores actus fidei, spei, charitatis aut contritionis elicere, quia nullibi legimus tales actus his diebus esse præceptos; nec sacram concionem audire, propter eandem rationem: tenentur quidem episcopi et parochi verbum Dei per se vel per alios singulis diebus dominicis et solemnioribus festis populo annuntiare, ut alibi ostendimus; sed communiter docetur fideles, aliunde

sufficienter eruditos, aut alia via erudiendos, concionibus et catechismis assistere non teneri: quod autem dicit concilium Trid.: « Moneatque episcopus populum diligenter » unumquemque teneri parochiæ suæ interesse, ubi comode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei, » strictum non denotat præceptum, alioquin non diceret, *ubi commode id fieri potest*; et insuper eo sensu prædicta accipiuntur verba.

3° Obligari fideles, sub peccato veniali, Vesperis adesse diebus dominicis et festis, nisi legitime impediuntur, maxime in Gallia, in Belgio et in aliis regionibus, ubi sic fert populi christiani consuetudo. Leves tamen rationes ab ea obligatione excusant. *Ita communissime theologi.*

4° *Sequitur ex dictis*, eos qui diebus dominicis et festis ab operibus servilibus abstinent et missam debito modo audiunt, cunctis aliis religionis operibus neglectis, licet reprehensibiles, præcepto de sanctificandis præfatis diebus satisfacere quoad substantiam, ita ut mortaliter non peccent. Absolvi ergo et ad communionem paschalem admitti possunt, si nihil aliud obstat, quamvis fortiter hortandi sint ad ea præstanda vel fugienda quæ optimi Christiani præstare aut fugere solent, et ad quæ sancta mater Ecclesia tam sollicitè et constanter incitat.

Hinc patet quanti momenti sit distinctio a *S. Thoma* inducta inter rem præceptam et finem præcepti, sub præcepto non contentum: quam distinctionem plurimi non satis attendentes, in vagam abeunt doctrinam, vel rigidiore emittunt sententias.

CAPUT QUARTUM.

DE QUARTO DECALOGI PRÆCEPTO.

Hoc præceptum continetur in Exod. xx, 12, his verbis: *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi.*

Etsi patris et matris nomine ii præcipue intelligantur ex

quibus generati sumus, « in hoc tamen præcepto, inquit » *S. Th.*, 2 2, q. 122, art. 5, ad 2, intelligitur mandari » quidquid pertinet ad reddendum debitum cuicumque » personæ, sicut secundarium includitur in principali. » In præsentī ergo capite dicemus de mutuis officiis 1° parentum et liberorum, 2° principum et populorum, 3° virorum et uxorum, 4° dominorum et famulorum, 5° magistrorum et discipulorum. De officiis pastorum et fidelium sufficienter diximus agendo de sacra hierarchia et alibi variis in locis.

ARTICULUS PRIMUS.

DE MUTUIS PARENTUM ET LIBERORUM OFFICIIS.

Investigandum occurrit 1° quid parentes debeant liberis, et 2° quid liberi debeant parentibus.

§ I. — De obligationibus parentum erga liberos.

Nomine parentum intelliguntur omnes ascendentes in utraque linea, tum in consanguinitate, tum in affinitate, sicut per liberos intelligendi sunt omnes descendentes.

Certum est parentes id omne præstare teneri liberis, quæ unusquisque proximo suo debet, quia neminem habere possunt propinquiorem quam proprios filios, et vox naturæ clamat hominem qui prolis suæ curam non haberet, feris ipsis deteriorem fore. Duplicis autem generis distinguitur cura parentum erga filios, una corporalis, et altera spiritualis.

De officiis parentum erga filios ad curam corporalem respicientibus.

1° Debent parentes, quantum moraliter possunt, omne corporale detrimentum a liberis suis sedulo avertere, alioquin feris deteriores se ostenderent. Caveant ergo ne fiant luci, claudi, gibbosi vel aliter deformes, ne cadant in ignem vel aquam, ne devorentur a bestiis etiam domesticis, ne sibi nimio ploratu, vel aliquo instrumento noceant,

ne in eodem lecto dormientes suffocentur. Unde manifeste contra hoc præceptum peccant mulieres gravidæ quæ, gravia gerentes onera, immoderato labori vacantes, currentes, saltantes, intemperanter bibentes aut comedentes, periculo abortus sese exponunt; item patres qui uxores percutientes aliisve modis vexantes, abortire faciunt, etc.

2° Tenentur filiis etiam illegitimis conferre alimenta, vestitum, habitationem et quidquid ad honestam sustentationem, juxta proprium statum, necessarium est; imo et post mortem, convenientes exsequias ac preces consuetas pro ipsis faciendas curare. *Ita omnes.* Hinc graviter peccant 1° qui prolem suam, sive legitimam, sive illegitimam, in xenodochio exponunt, nisi vel magna necessitas, vel conservatio honoris id exigat; et, in ultimo casu, datur obligatio impensas a xenodochio faciendas compensandi, juxta ea quæ in Tractatu *de Restitutione* diximus; 2° qui diligentiam saltem mediocrem non adhibent ut acquirant bona ex quibus liberos convenienter sustentent, et futuro statui eorum provideant: *Non enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis*, II Cor. XII, 14; 3° qui artē statui congruentem aliudve genus decenter vivendi liberos non docent, nec docendos curant; 4° a fortiori qui pigritia, negligentia, potationibus, comessionibus, lusibus, imprudentibus negotiis rem familiarem dissipant, et familiam ad statum fortunæ conditione sua inferiorem deducunt; 5° qui, absque legitima causa, convenientem negant dotem filiæ pro ineundo matrimonio, vel pro ingressu in religionem, vel exheredant aut exheredare sibi proponunt filium, quia statum clericalem aut religiosum vult amplecti. Dicimus *absque legitima causa*; quia, ex art. Cod. 204, liberi nunquam habent actionem in patrem et matrem ut obtineant dotem, et fieri potest ut, ex jure naturali, parentes sufficientem habeant rationem denegandi dotem, v. g., puellæ quæ sine eorum consensu indigno vult nubere. Ut probabilius tamen docent *Sanchez, Salmanticenses, S. Ligorius* et alii, patrem (et, defectu patris, matrem) teneri jure naturali filiæ ipso invito nuptæ

etiam indigno alimenta præstare si egeat; item et filio qui, spreto ejus consensu, nuptias contraxit, et uxori ejus, et filiis.

Nunc parentes filios penitus exhæredare non possunt ob quamcumque rationem, quia lex aliquam portionem descendentibus et ascendentibus absolute reservat: de illa igitur in filii detrimentum disponere non possunt, nisi per fraudem in foro interno, sicut et in externo, reprobendam. *Cod. civ., art. 913 et seq.*

3° Mater prolem suam, sive legitimam, sive illegitimam, proprio lacte tenetur alere, nisi justam habeat excusationem, v. g., infirmitatem, debilitatem, nobilitatis splendorem, aut consuetudinem legitime introductam; ad hoc enim natura evidenter impellit, ut in Philosophia morali ostendimus. Hæc tamen obligatio non est sub gravi, juxta *Busenbaum et S. Ligorium*, modo proles bonæ committatur nutrici.

4° Si filius debita ad recte vivendum contraxerit, pater ea solvere debet, cum illum enutrire teneatur; cætera vero debita, alio titulo contracta, non debet, nisi ex benevolentia et quodam honore, quia ipsi imputari non possunt. Nec alimenta, vestitum aliaque ad honestam sustentationem necessaria debet filio qui per bona sua vel per industriam sibi providere potest, vel qui tantæ est ingratitude aut animi tam flagitiosi, ut a patre abjici mereatur. Ita *Collet, Continuat. Tournely*, t. 6. Alii vero hunc casum excipere non videntur, ubi de alimentis et aliis ad sustentationem omnino necessariis agitur.

5° Perfecta inter omnes liberos servanda est æqualitas, et cavenda unius præ cæteris dilectio, ut pote fons et occasio jurgiorum, rixarum et multorum malorum: *Israel diligebat Joseph super omnes filios suos, eo quod in senectute genuisset eum, fecitque ei tunicam polymitam. Videntes autem fratres ejus quod a patre plus cunctis filiis amaretur, oderunt eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui*, Gen. xxxvii, 3: hoc exemplum præ oculis semper habeant parentes. Unde, quamvis leges permittant ut in distributione bonorum sortem unius sorte alte-

rius meliorem faciant, id raro expedit, et sæpe mortaliter peccarent facultate a lege sibi concessa utendo. Convenienter remunerent filium aut filiam quæ præ cæteris laboravit, rem familiarem auxit aut servavit, ipsis constanter adhæsit eosque pia sedulitate curavit: in hoc sane nihil vituperandum. Sed, hoc aliove casu simili excepto, accuratam respectu omnium servant proportionem, eandem dilectionem ac benevolentiam.

Pluries a nobis quæsitum est an filius ad militiam sorte designatus et a patre redemptus teneatur, in divisione paternæ hæreditatis, onus suæ redemptionis solus ferre. Respondemus eum non teneri, 1° si redemptus fuerit in patris vel familiæ utilitatem, vel contra propriam voluntatem, cum mallet tempus militiæ in persona explere, quam impensas redemptionis solus sufferre; 2° si pater expresse declaret se intendere ut filius sic redemptus onus suæ redemptionis ferre non teneatur, et aliunde hæc donatio non excedat partem de qua pater disponere potest titulo gratuito; 3° si fratres et sorores æquivalentes, sub aliis respectibus, fecerint impensas a communitate solutas, vel libere consentiant ut redemptus æqualiter paternam dividat cum ipsis hæreditatem, quod ordinarie contingit. His casibus aliisve similibus exceptis, filius redemptus pretium suæ redemptionis hæreditati referre teneretur, juxta dispositionem art. 843 Codicis civilis. Vide etiam art. 851 et 852, et in eos DD. *Gousset*.

6° Quamvis fratres eadem non teneantur obligatione erga fratres et sorores, qua tenentur parentes erga liberos, quia eadem non est dependentia, debent tamen, lege charitatis et pietatis, eis in necessitate extrema aut gravi succurrere, alimenta, vestitum, habitationem aliaque ad sustentationem necessaria præstare, etiam fratribus ex eodem patre sed ex diversa matre, vel ex eadem matre licet ex diverso patre ortis. Ita *Busenbaum, S. Ligorius* et alii plures.

De officiis parentum erga liberos ad curam spiritualem spectantibus.

1° Curare debent ut liberi pie christianeque instituantur, juxta hæc B. Pauli verba, I Tim. v, 8 : *Si quis suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior*; et, Eph. vi, 4 : *Et vos patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina et correptione Domini*. Ideo enim matrimonium ad dignitatem sacramenti evectum est, ut nata proles in Christo renascatur et ad vitam æternam præparetur: porro nisi tenella puerorum voluntas in bonum flectatur, ad malum proruet, et vitio semel assueta, ad virtutem inclinari vix deinceps poterit, ut ait Sapiens, Prov. xxii, 6 : *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea*. Debent ergo 1° curare ut quamprimum gratia baptismatis regenerentur; 2° eos vix loquentes præcipua Christianæ doctrinæ capita docere, et corda eorum ad Deum omnium creatorem ac gubernatorem inclinare; 3° eos adhuc teneros matutinis ac serotinis orationibus, Ecclesiæ officiis, catechismis et concionibus assuefacere; 4° eosdem a fallacibus mundi illecebris, pompis et voluptatibus avertere; 5° eis præficere magistros doctrina et multo magis gravitate morum conspicuos: semper habeant in mente hæc Proverbiorum verba, xiii, 24 : *Qui parcat virgæ, odit filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit*; 6° die noctuque invigilare ne quicumque verbis obscenis vel impiis, lectionibus minus castis aut religiosis, aut exemplis perversis filiis suis noceant.

2° Educationem conditioni suæ convenientem cunctis liberis suis dare debent, statum vitæ eis procurare, plenam eis relinquendo libertatem circa electionem. Unde procul dubio mortaliter peccant eos ad matrimonium vel ad religionem cogendo, aut, absque legitima causa, ab alterutro avertendo, consensum obstinate denegando, etc.

§ II. — De obligationibus liberorum erga parentes.

Verba, *Honora patrem tuum et matrem tuam*, tria im-

portant, juxta omnes, scilicet amorem, reverentiam et obedientiam, ut expresse docet Catechismus concilii Trid. et ipsa recta ratio dictat; triplicem enim respectum habent parentes ad filios, ratione causæ, præminentia et regimini: filii ergo debent eos amare ut suæ existentia causam, revereri ut superiores, eisque tanquam rectoribus obedire, et insuper necessitatem patientibus subvenire.

1° Eos amare; si enim cunctos homines tanquam proximos amare ex præcepto divino, naturali et positivo teneamur, a fortiori amare debemus eos qui nos tanto amore prosequuntur, cum tantis doloribus ediderunt, tantis curis aluerunt. Etsi defectus habeant, quovis modo erga nos egerint, eis tamen debemus vitam et conservationem: ergo etiam in hoc casu eos sincero amore prosequi teneamur.

Hinc graviter peccant liberi 1° si parentibus signa odii exhibeant; 2° si nullos amoris sensus eis manifestent, aut raro et imperfecte id faciant; 3° si dure eos tractent; 4° si eos graviter contristent, ad iram provocent, sive ex causa gravi, sive ex causa levi, modo gravem molestiam inde proventuram prævideant, etc. Hæc enim omnia Scripturæ sacræ sunt adversa; Prov. xix, 26 : *Qui affligit patrem et fugat matrem ignominiosus est et infelix*, Eccli. iii, 18 : *Est maledictus a Deo qui exasperat matrem*.

2° Eos venerari et honorare, ut clare exprimitur citatis verbis: *Honora patrem tuum*, etc., et his aliis, Eccli. iii, 8 : *Qui timet Dominum honorat parentes, et quasi dominis serviet his qui se genuerunt*. Hinc contra reverentiam parentibus debitam mortaliter peccat filius, 1° si eos etiam leviter, sed injuriose percutiat; et, in nostra diœcesi, qui patrem aut matrem aliumve ex ascendentibus, aut socerum aut socrum injuriose percutit, incurrit ipso facto excommunicationem episcopo reservatam; 2° si manum ad percutiendum deliberate attollat; 3° si verbis contumeliosis vel talibus quibus sciat eos esse offendendos afficiat; 4° si maledicta aut convicia in eos conjiciat, in illorum præsentia; nam si in eorum absentia hæc faceret, peccaret quidem, quia talia dicta reverentiæ parentibus debita re-

pugnant, ideo specialem habent malitiam; sed hæc malitia ad peccatum mortale non pertingit, nisi conjuncta sit cum magno contemptu, aut cum perversa intentione, v. g., ut parentes resciant et contristentur. *A fortiori*, si talia de parentibus mortuis dicant, non semper mortaliter peccant. Ita *S. Ligorius*, l. 3, n. 334, contra *Sporer* et alios, dicentes filium maledicentem parentibus, sive præsentibus, sive absentibus, sive vivis, sive mortuis, semper mortaliter peccare; 5° si eos subsannet, irrideat, torvis oculis aspiciat; 6° si eos pauperes, despectos, male vestitos despiciat, erubescat, agnoscere nolit, ut incognitos et extraneos habeat: si tamen, ex justa causa, dissimulet tantum se eos cognoscere, nolit eos apud se habere, modo interius non contemnat, et de necessariis eis provideat, *Bonacina*, cum pluribus aliis, eum a peccato mortali excusat; 7° si eos in foro externo etiam de vero crimine accuset; omnes tamen excipiunt crimen hæreseos, prodicionis aut conjurationis in principem, et dicunt filium in eo casu ne quidem proprio patri parcere posse, si malum aliter caveri nequeat, quia bonum publicum bono privato prævalere debet.

3. Eis obedire tenentur: constat tum ex Scriptura, *Eph. vi, 1: Filii, obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim justum est; Col. iii, 20: Filii, obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum est Deo;* tum ex *SS. Patribus*; tum ex doctoribus, qui in hoc sunt unanimes; tum ex ratione, quæ dictat eis obediendum esse qui habent jus imperandi: porro parentes habent jus imperandi in his quæ ad regimen et informationem familiæ spectant; in iisdem ergo filii obedire tenentur.

Hinc mortaliter peccant 1° qui in re gravi ad curam domesticam vel mores aut animæ salutem pertinente obedire nolunt; 2° qui, contra patris prohibitionem, improborum societatem, propinas, alex lusus, choreas et similia frequentant vel exercent; 3° qui, neglecto eorum mandato, operam dare nolunt litteris aut artibus statui suo congruentibus, sicque tempus frustra absumunt, et expensas pro ipsis factas inutiles reddunt; 4° qui, eis inconsultis, nubunt aut indignas seu inconvenientes nuptias facere volunt,

et convenientes a parentibus oblatas sine justa causa recusant; 5° item filia quæ contra parentum voluntatem domo egreditur, noctu cum viris loquitur, saltationes frequentat, familiaritates cum juvene servat, aliisve periculis se exponit, etc.

Non tamen parentibus obedire tenentur filii 1° in iis quæ sunt contra Dei vel Ecclesiæ præcepta aut contra Evangelii consilia, quia *obedire oportet Deo magis quam hominibus*; 2° in electione status, si eorum voluntas divinæ vocationi sit opposita; 3° in iis quæ ad bonum regimen familiæ non pertinent, v. g., si parentes exigent ut filius talem duceret uxorem a qua abhorret, ut filia tali nuberet quem diligere non potest, etc. Hinc 1° qui, omnibus perpensis, merito judicant se divinitus vocatos esse ad vitam religiosam vel ad statum clericalem, consensum parentum humiliter petere et patienter expectare debent: si vero illum obtinere non possint, adepta sua majoritate, eligere poterunt statum ad quem destinantur; 2° qui reverenter petierunt consensum parentum ad ineundum congruens matrimonium, et injuste fuerunt repulsi, ad reverentiales summationes lege permissas licite poterunt recurrere: raro tamen sapiens confessarius hujusmodi viam approbat, et multo minus consulit, propter mala inde frequentius secutura; 3° filii et filiæ etiam minores, qui ab irreligiosis parentibus ad malum inducuntur, a fide et virtutibus Christianis avertuntur, domum paternam licite fugere possunt, si quædam inveniant media fidem et etiam innocentiam in tuto collocandi.

Cæterum mala agendi ratio parentum eorumque vitia aut crimina non liberant filios ab obligatione eos amandi, venerandi et obedientiam in iis quæ imperare possunt eis præstandi.

4° Parentibus necessitatem tum spiritualem tum corporalem patientibus liberi succurrere tenentur, juxta hæc *Eccli. vii, 29*, verba: *Honora patrem tuum, et gemitus matris tuæ ne obliviscaris. Memento quoniam nisi per illos natus non fuisses, et retribue illis quomodo et illi tibi.* Unde in Codice civili, art. 205, legitur: « Les enfants doivent

» des aliments à leurs père et mère et autres ascendants
» qui sont dans le besoin, etc. »

Hinc in ordine spirituali graviter peccant liberi qui, advertentes suos parentes in multis Deum offendere, sacramenta negligere, nullam salutis æternæ curam habere, eos modeste, amice ac reverenter non admonent, non curant ut in periculo mortis constituti sacramenta Ecclesiæ tempore opportuno recipiant, de veritatibus æternis eis non loquuntur, nec permittunt ut alii hoc munus Christianum impleant, eos a condendo pio et rationabili testamento avertunt, vel ultimas eorum voluntates postponunt, aut negligunt, aut ex parte tantum implent, etc.

Similiter in ordine corporali mortaliter etiam peccant, 1^o si parentibus graviter egenis alimenta et vestitum denegent, cogentes eos ad mendicandum aut ad exercendam artem statui suo indecoram; 2^o si eos ægrotantes, infirmos, afflictos, aut senio confectos, non visitent, eis non compatiuntur, opem non ferant; si eosdem captivos, in carcere detentos, injuste vexatos, liberare, tueri, defendere pro posse suo non quærant; 3^o si pro eis defunctis non curent fieri exsequias secundum illorum conditionem et facultates. Hæc ad filios illegitimos sicut legitimos spectant, quia vere sunt filii, et quod dicitur de patre et matre, de aliis ascendentibus intelligi debet.

Colliges, ex dictis, 1^o quemcumque actum charitati, justitiæ aut aliæ virtuti omnibus communi oppositum, duplicem habere malitiam si erga parentes exerceatur, quia præter virtutem cui directe adversatur, lædit pietatem; 2^o fratribus, sororibus, nepotibus aliisque consanguineis et affinis constitutis, non tantum in extrema aut gravi necessitate, in qua cunctis hominibus auxilium præbendum esset ex charitate, sed etiam in necessitate ordinaria, succurrendum esse, idque habita ratione indigentiae et facultatum et ex judicio viri prudentis; 3^o iisdem obligationibus teneri, proportionem servata, tutores erga pupillos et pupillos erga tutores, quibus tenentur parentes erga liberos et liberi erga parentes.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE OBLIGATIONIBUS PRINCIPUM ET SUBDITORUM.

De obligationibus principum.

Principes tenentur bonum exemplum subditis suis præbere, scandala compescere, eos ab hoste et ab injustis vexationibus defendere.

1^o *Bonum exemplum eis præbere*: experientia namque constat subditos tendere ad imitandum regis exemplum in iis præsertim quæ cupiditatibus favent, unde prodiit axioma ubique notum: *Regis ad exemplar totus componitur orbis*. Meminerint principes se mortales esse sicut minimum ex subditis, supremo regum et populorum Judici rationem esse reddituros; et quid proderit eis si mundum universum lucrati fuerint, animæ vero suæ detrimentum fecerint?

2^o *Scandala compescere*. Princeps ideo præcipue gubernationi societatis præficitur ut illius bonum temporale quidem procuret, sicut Ecclesia fuit instituta ad bonum spirituale et æternum: attamen, quoniam mores depravati publicæ felicitati valde nocent, eos sapiens princeps bene informandos, emendandos et corrigendos sollicitè curabit, ac consequenter scandala prævenire, auferre aut compescere quantum poterit studebit.

3^o *Eos ab hoste*, etc. Bonus enim princeps debet esse pater vigilans et sollicitudinibus plenus respectu totius populi sibi commissi: ipsius est ergo invigilare ut uniuscujusque jura serventur integra, ut nullus injuste vexetur, sive ab hoste externo, sive a fratribus iniquis, etc. Ergo.

De obligationibus subditorum erga principem.

Subditi debent principi honorem, obsequium, fidelitatem et subsidium.

1^o *Honorem*. *Deum time*, inquit B. Petrus, I Epist. 11, 17, *regem honorificate*. Illud enim ordo postulat, siquidem honor viam parat ad utile exercitium auctoritatis, et

ad obedientiam subditos movet. Hanc reverentiam Scriptura sacra et fides catholica imperant, et etiam apud omnes gentes, etiam minus exultas, reperitur. *A fortiori* ergo honorandus est supremus princeps qui ubique habetur ut in summa dignitate constitutus: ergo.

2^o *Obsequium*; princeps enim habet jus imperandi, alioquin populum gubernare non posset: sed jus imperandi supponit obligationem parendi, seu obsequium præstandi. Unde B. Petrus, loco citato: *Subjecti estote omni humane creature propter Deum, sive regi, quasi præcellenti, sive ducibus ejus, tanquam ab eo missis... quia sic est voluntas Dei*; sicque in primis Ecclesiæ sæculi Christiani semper fuerunt subditi, in iis quæ non erant contra legem Dei, imperatoribus et regibus usurpatoribus ac persecutoribus, sicut bonis et legitimis. Ergo.

3^o *Fidelitatem*. Si princeps enim vi suæ dignitatis subditos omni via possibili tueri, defendere et felices reddere teneatur, naturalis æquitas exigit ut subditi, ex parte sua, fideles se exhibeant erga principem et officia sibi imposita constanter impleant, Ergo.

4^o *Subsidium*. Hoc autem probavimus in Tractatu de *Restitutione*, ostendendo solvenda esse tributa.

Legantur etiam quæ exposuimus in Philosophia morali, ad calcem.

Quæritur an subditi in quibusdam casibus dispensari possint a juramento fidelitatis.

R. Affirmative. Id sequitur ex iis quæ jam diximus agendo de juramenti dispensatione, p. 273 et 274. Etenim, 1^o si princeps essentielles omittat conditiones sub quibus supremam obtinuit potestatem, v. g.: si necessario debeat esse catholicus, et fiat hæreticus, amittit potestatem imperandi, et eo ipso vis juramenti cessat: superior ecclesiasticus, a juramento in eo casu dispensans, declarat illud coram Deo jam non obligare. 2^o Si inter principem et subditos existat pactum utrinque juramento firmatum, et princeps evidenter fiat perjurus, subditi juramento non amplius ligantur, quia frangenti fidem fides non debetur. Unde *S. Th.*, 2 2 q. 12, art. 2, loquens de principe qui per apostasiam a

fide jus domini amittit, ait: « Et ideo quam cito aliquis » per sententiam denunciatur excommunicatus propter » apostasiam a fide, ipso facto ejus subditi sunt absoluti » a dominio ejus et juramento fidelitatis quo ei teneban- » tur. » In eo sensu intelligendæ sunt pleræque summorum Pontificum sententiæ quibus subditos absolverunt a juramento fidelitatis erga principes perjuros et tyrannos, qui nulla prudentiæ via ad æquiores agendi rationem reduci potuerant: declarabant ipsis fundamentales regni constitutiones transgredientibus nullum jam deberi obsequium, obligationem juramenti esse sublatam, thronum vacare, etc. Tales autem sententiæ, spectatis regnorum catholicorum in eo tempore constitutionibus, quemlibet principem hæreticum aut schismaticum a throno excludentibus, nihil per se exhibent absurdi, injusti aut falsi: nunc vero nulla ratione applicari possent, quia longe diversa sunt imperiorum et regnorum instituta.

Vide quæ de his diximus in Tractatu *de vera Ecclesia*.

ARTICULUS TERTIUS.

DE OBLIGATIONIBUS VIRORUM ET UXORUM.

Officia conjugum sunt reciproca, et ideo de illis simul tractandum est. De debito conjugali, cohabitatione et separatione alibi diximus. Restat igitur ut alia præcipua conjugum officia breviter exponamus.

1^o Conjuges ad mutuam, sanctum et specialem erga se invicem tenentur amorem. Sic enim expresse habet B. Paulus, Eph. v, 25: *Viri, diligite uxores vestras sicut Christus dilexit Ecclesiam et tradidit seipsum pro ea*. Si viri teneantur diligere uxores, certe uxores tenentur diligere viros, ut ait idem Apostolus, Tit. II, 4: *Viros suos ament*; et comparatio adducta indicat manifeste amorem purum, sanctum et specialem.

Hinc graviter peccant si rixas, odium, jurgia inter se excitent aut foveant; si conviciis aut maledictionibus sese afficiant; si vir uxorem et multo magis si uxor virum percutiat; si zelotypiæ cedant, etc.

2° Societatem conjugalem ducere tenentur et secum habitare; Christus enim dicit, Matth. XIX, 5: *Dimittet homo patrem et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una.* Electio autem domicilii pertinet ad virum, qui est *caput mulieris*, I Cor. XI, 3. Uxor tamen non semper tenetur eum sequi, ut diximus in Tractatu de Matrimonio, versus finem.

3° Conjuges sibi mutuo debent alimenta et ea quæ ad honestam conditionis suæ sustentationem pertinent: *Jam enim non sunt duo, sed una caro*, Matth. XIX, 6: *Nemo autem carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam*, Eph. v, 29. Hinc mortaliter peccat maritus qui necessaria negat uxori, cum ea ipse habeat, vel convenientem non adhibet diligentiam ut ea, quantum oportet, acquirat et conservet. Excipitur si mulier promiserit dotem et solvere noluerit, vel si, absque ratione sufficienti, juxta ea quæ diximus in Tractatu de Matrimonio, a viro discesserit, vel si dotem inscio marito consumpserit. Similiter et uxor graviter peccaret si, cum posset, necessaria marito egentem, in carcere detento, ad triremes damnato, non ministraret.

ARTICULUS QUARTUS.

DE OBLIGATIONIBUS DOMINORUM ET FAMULORUM.

De dominis.

Domini debent famulos suos amare, instruere, corripere, benigne tractare, et justum pretium eis solvere.

1° *Amare.* Nam *Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua; quasi fratrem sic eum tracta*, Eccli. XXXIII, 31. Unde B. Paulus commendat Onesimum Philomeni, rogans ut eum excipiat *jam non ut seruum, sed pro servo charissimum fratrem.* Eundem quippe habent dominum, patrem et judicem in cælis: *Et vos, domini*, inquit B. Paulus ad Ephes. VI, 9, *eadem facite illis, remittentes minas, scientes quia et illorum et vester dominus est in cælis, et personarum acceptatio non est apud Deum.*

2° *Instruere.* *Si quis suorum et maxime domesticorum eu-*

ram non habet, fidem negavit et est infideli deterior, I Tim. v, 8. Porro qui non est sollicitus ut famuli rudimentis Christianæ fidei, mandatis Dei et Ecclesiæ, principiis morum et omnibus ad salutem necessariis imbuantur, qui tempus conveniens ad hæc discenda concedere nolunt, eos ad catechismum, ad concionem non mittunt, curam eorum non habent: facile ergo in tali omissione graviter delinquere possunt.

3° *Corripere.* Domini namque sunt patres-familias; in servos, sicut in filios, servata quadam proportione, invigilare debent, ut domus bene sit ordinata: inobedientes ergo et delinquentes corripere tenentur, « seu verbo, seu » verberare, seu quolibet alio pœnæ genere justo atque licito, » quantum societas humana concedit, » ait S. Aug. de Civit. Dei, l. 19, cap. 16. Contra hanc obligationem graviter peccant qui conducunt vel in domo retinent servos irreligiosos, impios, blasphemantes, turpia loquentes, moribus depravatos, perversitatis exempla præbentes, eos non monent, ad meliorem vitam non exhortantur, aut emendationem promittere nolentes, vel promittentes et non facientes non dimittunt, nisi forte eorum opera maxime indigeant, et alios invenire non possint.

4° *Benigne tractare;* id est, honesto et amabili vocis tono eos alloqui, bona et sufficientia alimenta eis præstare, nimis operibus eos non gravare, infirmos convenienter curare, denique eos velut fratres semper habere, et durum eorum conditionem mansuetudine pro posse suo lenire debent.

5° *Justum pretium eis solvere.* *Dignus enim est operarius cibo suo*, Matth. x, 10. *Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane*, Levit. XIX, 13. Unde, juxta gravitatem materiæ, peccant qui stipendium promissum non solvunt, aut nimis differunt; qui, pactione non facta, quod justum est solvere nolunt; qui famulos ægrotos non curant, statim expellunt, etc. Stipendium tamen solvere non tenentur pro tempore infirmitatis vel absentiae notabilis, nec majores expensas ratione infirmitatis factas, v. g., pro medicis, chirurgis, pharmacopolis, etc.

De famulis.

Famuli debent dominis suis reverentiam, obedientiam, obsequium et fidelitatem.

1° *Reverentiam*; id est, eos revereri seu honorare debent ratione dignitatis, et tanquam suos superiores, juxta hæc B. Pauli verba, I Tim. VI, 1: *Servi dominos suos omni honore dignos arbitrentur.* Contra hanc obligationem peccant qui occultos eorum defectus manifestant, eos irrident, aspernantur, sinunt ut in ipsorum præsentia de illis detrahatur, etc.

2° *Obedientiam.* *Servi, obedite dominis carnalibus in timore et tremore, cum simplicitate cordis vestri, sicut Christo,* Ephes. VI, 5. *Servi, subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis,* I Pet. II, 18. Hinc plus minusve peccant qui, cum aliquid ipsis præcipitur, obmurmurant, insolenter respondent, simulant se fecisse, in mendacia crumpunt, etc.

3° *Obsequium.* Debent enim ad omnia se attentos, paratos et sollicitos præbere, non *ad oculos servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, timentes Deum,* Coloss. III, 22. Etenim qui se locat pro stipendio manere non potest iners, sed res ac negotia domini tanquam propria gerere debet, et oculos habere in manus domini, ut quidquid est officii sui semper accurate faciat.

4° *Fidelitatem,* secundum hæc B. Pauli verba, dicentis ad Tit. II, 9, *servos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes.* Peccant igitur sæpe graviter et contra justitiam, qui rerum sibi creditarum curam non habent; qui eas culpa sua deteriores fieri sinunt; qui, convento salario non contenti, aliquid titulo compensationis clam subripiunt; qui manducant aut bibunt quæ sibi non destinantur; qui de bonis dominorum eleemosynas faciunt, sine eorum consensu saltem rationabiliter præsumpto; qui dormiendo, otiano, negligenter laborando tempus male absumunt, etc.

ARTICULUS QUINTUS.

DE OBLIGATIONIBUS MAGISTRORUM ET DISCIPULORUM.

De magistris.

Qui grande munus alios docendi suscipiunt, debent alumniis suis semina Christianarum virtutum, doctrinam sanam, ad scopum intentum utilem, captui eorum proportionatam, et modo convenienti expositam præbere.

1° *Semina Christianarum virtutum.* Non agitur enim apud nos de informandis philosophis qui quasdam virtutes humanas sola ratione vaga innixas ostendere debeant, sed de faciendis bonis Christianis, qui, cuncta respectivæ conditionis suæ officia accurate explentes, ad æternam salutem jugiter tendant et eam consequantur. Experientia constat profanam scientiam sæpius per se inflare, fatuos et superbos creare, ad salutem nihil conferre, homines veris virtutibus præditos non facere, religioni ipsique societati potius nocere quam prodesse. Sedulo igitur curare debent omnium scholarum magistri et magistra ut religionis et virtutum principia lucide explanent, in alumniis inculcent et corda eorum informant. Cum autem præcipua persuadendi via sit præcepta exemplis fulcire, necesse est ut ipsi ab omnibus vitiis sint alieni, in virtutibus quas docere tenentur eminentes, et precibus cælestem benedictionem in conatus suos invocare non cessent.

2° *Doctrinam sanam,* id est, Scripturæ sacræ, traditioni, conciliorum oraculis et Ecclesiæ documentis consentaneam: novas docendi methodos querere, adoptare, aut perficere possunt; sed in religionis ac virtutum doctrina ab omni novitate caute absterneant.

3° *Ad scopum intentum utilem.* Omnis quidem scientia recte ordinata bona est, cum nihil aliud sit quam veritatis cognitio; sed quoniam ingenia humana omnis veritatis non sunt capacia, valde interest ut unusquisque in iis maxime erudiatur quæ præsentis aut futuræ ipsius conditioni optanda sunt. Alia quippe est eruditio vel scientia

competens agricolæ, alia negotiatori, alia militari, alia legisperito, alia clerico, etc. Hæc jugiter advertere debent magistri.

2° *Captui eorum proportionatam et convenienti modo expositam.* Si enim proponatur candidatis scientia nimis ardua, intellectui eorum improportionata, animi ipsorum obruentur, studium fastidient, exhorrescent, nihil percipient neque discent. Unde doctiores non semper meliores sunt magistri, sed qui clarius loquuntur et diligentius student se audientium captui accommodare.

Sæpe magistri incapaces vel officium suum negligentes, contra justitiam peccant, et ad restitutionem tenentur, ut in Tractatu de Restitutione ostendimus.

De discipulis.

Præcipua discipulorum et studentium officia sunt virtutem sectari, scholas frequentare, magistros revereri, eos cum animo docili audire, et diligenter studio incumbere.

1° *Virtutem sectari.* Bonum est enim viro cum porterit jugum ab adolescentia sua, Thr. III, 27. *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea,* Prov. XXII, 6. Tota moralis existentia in hac vita et salus æterna generaliter pendent a primis adolescentiæ annis. Si hoc adverterent et bene intelligerent juvenes, quanto zelo vitia fugerent et virtutes excolerent!

2° *Scholas frequentare;* non nisi enim arduo labore et longa assiduitate scientiæ et artes ediscuntur. Unde juvenes negligenter studentes, scholas facile omittentes, valde sibi nocent: prima scientiæ principia ignorantes vel imperfecte scientes, alias partes difficiliter acquirunt, frequenter nunquam ediscunt, et dum eminere potuissent si debito modo laborassent, infimum et quandoque ignominiosum locum semper tenent.

3° *Magistros revereri;* cuilibet namque superiori aliqua ab inferioribus debetur reverentia conditioni proportionata: porro magistri superiorem tenent locum respectu

discipulorum; parentes suam auctoritatem eis delegant, liberos suos sollicitudini eorum committendo: ergo discipuli magistros sicut parentes revereri et honorare debent. Peccant igitur, et sæpe graviter, eis detrahendo, irridendo, subsannando, eos maledictis, calumniis, molestiis afficiendo, etc.

4° *Eos cum anima docili audire.* Indocilitas enim præsumptionem et nimiam proprio sensui adhæSIONEM redollet; vanas disputationes, murmura, scandala inducit, quod verè ac utili scientiæ prorsus est oppositum, juvenem reddit arrogansem, et sæpe in damnabiles errores projicit.

5° *Diligenter studio incumbere.* Patet ex dictis n. 2; negligentia enim in studendo multa invehit peccata contra Deum, contra parentes, contra Ecclesiam et contra societatem. Sola temporis jactura, cum ad certam excrevit quantitatem, quæ facile definiri non potest, constituit peccatum mortale; et insuper culpæ e tali negligentia deinceps secuturæ, quæ in causa prævideri potuerunt, imputabuntur donec causa sufficienter fuerit retractata et negligentia reparata; aut si reparari non possit, donec officium capacitati non proportionatum fuerit dimissum.

Plura hac de re jam diximus in Philosophia morali.

CAPUT QUINTUM.

DE QUINTO DECALOGI PRÆCEPTO.

Illud præceptum continetur in Exod. xx, 12, his verbis: *Non occides.* Quidquid noxium est proximo in corpore, per hoc negativum præceptum prohibetur; omnia enim mala corporalia, ut pote ad destructionem vitæ tendentia, exprimuntur per occisionem quæ est summum vitæ corporalis malum, et vulgo appellatur homicidium, a verbis *homo et cedere*, quasi diceretur hominis cæsis. ¶

Homicidium est *omnis violenta hominis occisio, ab alio homine facta, quocumque modo.* Potest esse justum vel injustum, voluntarium in se, voluntarium in causa, vel